



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

**Parisiis, 1644**

XXVIII. Epistola Lvciani Episcopi Byzensis, Ad Leonem Imperatorem.  
Piissimo & Christianissimo domino imperatori, perpetuo Augusto Leoni,  
Lucianus humilis Byzæ metropolitanus episcopus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14887**

LEO CALCHEDONENSE. VALENTIN. IMP. 293  
P.I. MARCIANVS

ANNO  
CHRISTI  
451.

XXVIII.

EPISTOLA LVCIANI EPISCOPI  
BYZENSIS, AD LEONEM IMPERATOREM.

Piissimo & Christianissimo domino imperatori, perpetuo Augusto  
Leoni, Lucianus humilis Byzæ metropolitanus  
episcopus.

DATIS mihi piis atque venerabilibus literis vestræ Christianitatis imperii, & relegente me sacros apices vestros, ac inueniente in eis feruentissimum circa orthodoxam fidem zelum, & excellentem pietatis intentionem, & quia valde pro sanctarum ecclesiarum pace curatis, nec non & vestras ciuitates sub quiete manere, & omnes subiectos in tranquillitate confistere festinatis, & sacerdotes Christi pro fidei robore ad concordiam in uitatis, & ea quæ discepta sunt insidiis inimici, voluntate Dei coniungere decertatis: & mea humilitas suam indicat voluntatem, inquantum intelligere potest, principaliter equidem de Timotheo, quem etiam lectioni subiectæ preces edocuerunt sacerdotii appellatione & operatione nimis indignum, qui secundum sanctorum patrum regulas expellendus, nisi forte propter magnitudinem clementiæ sanctis summorum thronorum archiepiscopis quidquam de eo aliud videatur: eo quod & piissimæ vestræ diuinitus factæ clementesque literæ manifestant, valde vos de vrbe Alexandrina cogitare. De sancto vero & vniuersali Calchedonensi Concilio, quod concordat & trecentis decem & octo sanctis patribus qui in Nicæa conuenerunt, & centum quinquaginta qui post hæc in vrbe regia congregati sunt, & eis qui in Epheso sub Cælestino Romanæ vrbis, & Cyrillo Alexandrinorum, sanctis episcopis conuenerunt, etiam animo quidquam sumere, quod sit ei contrarium, impii atque hæretici sensus esse iudicauit.

Oo iiij